



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 264. Quid circa itinerantes sit addendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

§. 2. Si Medici censeant jejunium nociturum ¹³³⁹
proli concipiendæ, mulier excusatur à jejunio,
quia grave esset incommodum non posse fovere
prolem concipiendam, *Tamb. n. 17.*

§. 3. Docent *Mendo d. 8. q. 9. Ills. t. 4. d. 1. 1340*
n. 44. aliique communiter; quòd mulieres præ-
gnantes & lactantes, quamvis sint robustæ va-
letudinis, à jejunio excusentur, quia ob fœ-
tum vel prolem alendam indigent copiosiore
cibo.

§. 4. Uxor non excusatur ex eo præcisè, quòd ¹³⁴¹
vir prohibeat, ne jejuset, quia non habet jus
prohibendi, & ipsa magis tenetur obedire Ec-
clesiæ quàm viro: posset tamen, si alioqui præ-
videret graves discordias, non jejunare, quia præ-
cepta positiva non obligant cum gravi scandalo
& incommodo, & pax mutua conjugum præ-
ponderat jejunio: si tamen aliquis maritus face-
ret in contemptum Ecclesiæ vel jejunii, uxor te-
neretur potius vitam ponere, quàm obsequi,
Steph. suprà.

§. 5. Per se loquendo, non est licitum viro ¹³⁴²
uxoris hæreticæ, propter ipsam frangere jejunia,
quia vir est caput uxoris, & hanc potius adduce-
re debet ad suum modum vivendi. Excipe, nisi
uxor ob impotentem indolem vel longè majo-
rem nobilitatem haberet imperium, ita ut vir
sine gravi molestia & turbatione familiæ aliter
non posset.

Q. 264. Quid circa itinerantes sit addendum. 1343
R. Seqq.

§. 1.

§. 1. Iter equestre non semper excusat à jejunio, nam *Alex. VII.* damnavit hanc 31. prop., *Excusantur absolute à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei consciant.*

1344 §. 2. Quando nam itinerantes excusentur à jejunio, variant AA., nam *Pasq.* dicit pro pedite sufficere iter 7. milliarium Italicorum, sive apud nos duarum leucarum & mediæ circiter, tria enim milliaria Italica faciunt unam leucam seu horam nostratam, uti notant AA. apud *Steph. n.* 132. *Leander* dicit sufficere 3. Leucas: alii cum *Diana* requirunt 4. tantum leucas; *Castrop.* quatuor vel quinque, sed hi AA. communiter rejiciuntur: hinc *Azor*, *Bonac. Fagund 7. Marcha.* & alii requirunt saltem 5. leucas. Pro equite verò *Leand.* dicit sufficere 10. vel 8. leucas, quamvis unico die equitet, & *Diana* dicit esse probabile, sed p. 11. t. 2. R. 57. cum *Mendo & Hurt.* requirit 9. vel 10. leucas: *Fill. Bonac. & Pasq.* decis. 116. requirunt iter plurium dierum, præsertim in æstate, quando minùs est molestum equitare: His non obstantibus, probabilius est cum *Steph.* suprà regulam generalem in istis statui non posse nisi hanc unicam, tum tantum excusari itinerantem à jejunio, quando cum labore itineris, quomodo cumque tandem illud fiat, non potest consistere jejunium sine magna difficultate & incommodo: Ratio est, quia aliqui plùs alii minùs laboris capiunt ex via; item, iter 4 leucarum propter montes & alia incommoda est longè difficilius plano per 5. vel 6. leucas: item, iter tempore pluvioso, per vias lubricas, vento in faciem oppo-

opposito, est duplo laboriosius quam aurâ serenâ, viis siccis, vento secundo &c. Deinde aliqui sine ullo labore & molestia equitant vel curru vehuntur totâ die; alii mallent ire pedites: item, aliquis mallet conficere 12. horas in hoc equo, quàm 6. in illo &c. ergo non potest statui pro omnibus regula generalis, nisi illa, quam dedimus.

Q. 265. Quid addendum sit circa excusationem ob pietatem vel majus bonum. R. Seqq. 1345

§. 1. Peregrinatio excusat, si fiat ex voto vel præcepto Confessarii, & aliâ die commodè institui non possit, ita cum aliis *Laym.* l. 4. t. 8. c. 3. n. 5. Addit cum aliis *Sanch.* in Conf. l. 5. c. 1. dub. 11. etiam illam peregrinationem excusare, quæ ad Dei honorem valde utilis est, aut fit ex magno affectu pietatis, ita ut peregrinanti videatur futura utilior quàm jejunium, aut quia erit utilis, v. g. ad lucrandas indulgentias in altero loco; Item potest quis inire peregrinationem, licet incurrant dies jejunii, si longa sit & alioqui careret sociis; imò *Bonac.* de peccat. d. 2. q. 8. p. 1. num. 16. *Tamb.* num. 30. *Moya* t. 1. t. 6. d. 5, q. 1. num. 22, & alii absolutè dicunt excusare omnes pias peregrinationes, quia videntur meliores jejunio.

§. 2. Si quis ex pio fine se cruentè flagellet, prævidens se ita debilitandum, ut jejunare non teneatur, *Palatios* & alii dicunt peccare, si non jejunet, sed probabiliùs excusant *Bonac.* p. ult. n. 9, *Sanch.* dub. 12, *Moya* & alii cum *Tambur.* supra, quia hæc est honestissima fatigatio, quæ videtur etiam ipso jejunio melior. 1346

§. 3.